

/ Admodum R/de Pater, Accepi die 18 Januarii literas R.V. scriptas die 24. Decembris anni superioris; nunc iterum accepi alias datas die 14. Martii. Gaudeo, quod scripta R.V. huc missa, salva isthuc redierint. Quod P.R/mus Generalis scripsit, me acturum cum Pontifice
5 de scriptis R.V. ob dubitationem quae posset exoriri ex tractatione de praedeterminatione, postea non successit. Visum enim fuit et ipsi Patri Generali, et mihi, et aliis nostris nihil esse movendum, ne daremus occasionem novis turbis. Jam enim censores librorum R.V. admonuerunt, quid esset tollendum ad evitandas ejusmodi contentio-
10 nes; et omnes nos censuimus, illis sublati, nihil esse periculi, si quidem R.V. nihil novi docet, sed solum defendit scripta mea contra haereticos; et nullo modo credibile est, viros religiosos, cum quibus disputamus de auxiliis gratiae, posse offendi ex eo, quod contra haereticos docemus, Deum non esse auctorem peccati.

15 De libello illo perniciosissimo non habeo quid dicam; nam utrinque sunt angustiae: si enim respondeatur, timet Summus Pontifex, ne hac occasione rumores crescant: liber enim confutatus alium continuo parit, et responsio responsionem serit; si non respondeatur, periculum est, ut prudenter considerat R.V., ne suspensiones varias, easque non
20 paucas concipiant adversarii, et scripsit mandent. Nos interim Deum precabimur, ut Ecclesiam suam pacato vultu respiciat, eamque ~~def~~prote-
gat, et defendat.

De concionibus latinis edendis, quas ego juvenis habui Lovanii, nihil a longo tempore audivi. Optarem, ut R.V. vel aliquis alius ex
25 nostris moneret F. Simonem Richium, ord. Min. de observantia, ut si animum edendi eas conciones forte deposuit, saltem remitteret ad nos libros duos concionum, quos illi miseram. Libri enim illi mei non sunt (nullum quippe exemplum concionum mearum mihi servavi), sed P. Francisci Rocha, qui moleste fert, se carere concionibus manuscriptis,
30 cum excusas habere non liceat. Si autem remittendi sint libri illi, det operam F. Simon Richius, ut per amicum mittantur, non per publi-

15 avril 1614. Bell. à Adam Contzen (contin.)

1413
3913^a

/ ~~cu~~ veredarios, ne cogatur P. Rocha rem suam redimere carissimo pretio. His valeat R.V. memor mei in sanctis precibus suis. Datum Romae die 15 Aprilis 1614.

R.V.

5

frater, et servus in Christo

R. Card/lis Bellarminus.

(adresse) Admodum R/do Pri, Pri Adamo Contzen Societatis Jesu Sacerdoti.

Moguntiam.

10 Münster, Archiv. Status. Jesuitica in genere, fasc. XIX, n. 324. ~~Ma~~ Minute autogr. du cardinal au verso de la lettre du P. Contzen ; Original écrit par le secrét. et signé par le card. avec au bas à gauche: P. Adamus Contzen. Societatis Jesu. Moguntiam.